

stremarum vocum: & *Hyarus*, substituisset monosyllabas, v. g. Lar, Grex, ascentisset ad Lansianas varietates. Hic admonere cogor, ne me quoque contagio criminis corripiat, primam in *Thety* correptam non legi. Et succurrit opportunè Virgilianus ille, *Georg.* lib. 1. v. 31.

Teque sibi generum *Thetys* emat omnibus undis.

Nam alia *Thetys*, oceani Regina, Nerei conjux; alia *Thetis*, nympa marina vilis, Peleo mortali nupta, Achillis parens, nec digna cui se Proteus sacret. Ea sanè corripitur:

Vecta est frenato cærulea pisce *Thetis*.

Cæterum Ricciolus Scaligerum imitari voluit, utriusque enim de Proteo Proteus est. Hujus autem iste:

Perfide sperasti divos te fallere Proteu.

De cujus variationibus infra probl. fin. Ne verò Germani inferiores viderentur, elaborandum sibi Harsdörfferus esse duxit, cujus delic. *Math. P.* 3. Sect. 1. prop. 14. distichon extat:

**Ehr/Kunst/Geld/Guth/Lob/Weib und Kind**

**Man hat/sucht/fehlt/hofft/und verschwind**

Cujus II. monosyllaba habent variationes 39916800. Tantum de Versibus. Quanquam autem & *Anagrammata* huc pertinent, quæ nihil sunt aliud, quàm Variationes utiles literarum datae orationis; nolumus tamen vulgi scrinia compilare. Unum è literaria re vel dissensu computantium quæri dignum est: quoties situs literarum in Alphabeto fit variabilis. *Clav. Com.* in *Sphær. Joh.* de *Sacro Bosco* cap. 1. pag. 36. 23. literarum linguæ latinæ dicit variationes esse 25852016738884976640000. cui nostra assentitur computatio. 24. literarum germanicæ linguæ variationes *Laurembergius* assignavit 620448397827051993. *Erycius Puteanus* dicto libello, 62044801733239439360000. At *Henricus ab Etten*: 62044859438860613360000. omnes justo pauciores. Numerus verus, ut in tabula manifestum, est hic: 620448401733239439360000. Omnes in eo conveniunt, quod numeri initiales sint: 620448. *Puteanæ* computationis error non mentis sed calami vel typorum esse videtur, nihil aliud enim, quàm loco 7mo numerus 4. est omissus. (Aliud autem sunt variationes, aliud numerus

merus